

*XLII. Observationes Transitus Veneris per Discum Solis, Die 3 Junii, 1769, habitæ in Suecia, et Societati Regiæ Londinensi communicatæ, a Petro Wargentin, ejusdem Societatis Sodali, et Academiæ Regiæ Scient. Stockholmensis Secretario. Communicated by Mr. John Ellicott, F.R.S.*

Read Dec. 16, 1769. **T**RANSITUS Veneris per discum Solis, qui contigit die 3 Junii hujus anni, novam et exoptatissimam astronomis præbuit occasionem limatus determinandi veram quantitatem parallaxeos Solis horizontalis, si modo bonæ observationes justis locis habitæ sint. Et cum Suecia inter ea terræ loca fuerit, ubi observationes habitæ, collatæ cum aliis in Mari Pacifico, vel America, institutis, magni essent ponderis, suo officio deesse neutquam voluerunt astronomi Sueci, quo minus, suo quisque loco, ad rarissimum hoc phænomenon debita cum diligentia attenderet. Sed quoniam et immersio et emersio Planetæ, non nisi in borealibus regni partibus videri potuerit, Academia R. Scientiarum Stockholmensis omnino necessarium duxit, mittere duos observatores exercitatos et bonis instrumentis instructos, in Laponiam, qui diversis locis transitum hunc opperirentur. Alter, Dominus Mallet,

*Mallet*, Astronomiæ Observator Regius *Upsaliæ*, vil-  
lam *Pello* adiit, quæ terminus borealis fuit arcus  
meridiani terrestris, ab astronomis *Parisiensibus*, anno  
1736, mensurati. Alter, Dominus *Planman*, Philo-  
sophiæ Naturalis Professor in Academia *Aboensi*,  
*Cajaneburgum* repetiit, oppidum in confiniis *Fin-  
landiæ* et *Laponiæ* situm, ubi priorem Veneris per  
Solem transitum, anno 1761, feliciter notaverat.  
Istas stationes Academia *Stockholmensis* eam præcipue  
ob causam delegerat, quod earum situs geographicus  
jam antea quadantenus determinatus fuerit. Nisi  
enim longitudo loci certa sit, observatio per se optima  
solius immersionis vel emersionis Veneris irrita fere  
effet: raræ autem sunt occasiones determinandi longi-  
tudines locorum, præsertim tempore verno et æstivo,  
prope circulum polarem arcticum, ubi eo tempore  
continua lux Jovem videre et fixarum à Luna distan-  
tias observare vix permittit. Eclipsi quidem Solis,  
quæ die 4 Junii incidit, videbatur bonam offerre an-  
sam determinandi meridianorum differentias; sed  
præterquam quod fieri posset, ut qui immersionem  
vel emersionem Veneris feliciter observavit, cœlum  
nubilum haberet sub eclipsi Solis, notum quoque  
est, observationes correspondentes eclipsium Solis non  
satis certas dare meridianorum differentias. Acade-  
mia itaque prudentius agere sibi visâ est, eligendo loca  
stationum ante determinata, quamvis Sol, tempore  
transitus, minus ibi effet elevatus, quam, pro obti-  
nenda parum majori Solis altitudine, loca magis bo-  
realia sed indeterminata præscribendo.

Præter dictos duos observatores, tertius, Dominus  
*Hellant*, ipsius urbis *Torneiæ* incola, et qui per 30  
annos varias observationes astronomicas ibi dextre  
instituit,

instituit, suam hac quoque occasione operam pollicitus est.

Incidente demum die 3 Junii, D. *Mallet* optimam spem habuit bonas nanciscendi observationes, cœlo enim sereno gavisus est per totam fere diem, immo etiam per noctem sequentem, sed nubes circa horizontem borealem omnes ipsius conatus observandi momenta immersionis et emersionis Veneris, prorsus irritos, proh dolor! reddiderunt. Sub ipso transitu Planetam in Sole aliquoties vidit, ejusque diametrum situmque in disco, ope micrometri objectivi, mensus est; sed harum observationum copiam mihi nondum dedit. Totam quoque Solis eclipsin bene a se observatam esse narrat, sed hoc debile nimis solatum invisæ Veneris, et vile pretium tanti itineris jure putat.

*Hellantius Torneæ*, Venerem adhuc minus propitiā expertus est. Cœlum enim hisce diebus fere continuè nubilum habuit, ut ne quidem ecliptin Solis observare illi licuerit.

*Planmannus* autem *Cajaneburgi* felicior fuit. Ibi cœlum tota die præcedente densis nubibus fuerat obductum, quæ omnem observationum spem extinxerant, sed inopinato dehiscebant nubes circa Solem, vesperi, hora 9 8', tum vero Venus jam cœperat Solem ingredi, et tertia circiter diametri sui parte intra discum Solis erat. Hora 9 20' 45'' $\frac{1}{2}$  tota immergebat, eo enim momento rupta est subito fasciola, quæ huc usque Solis et Veneris margines junxerat, et Planetæ corpus lumine Solis undique est circumfusum. Paucis post hoc momentum minutis, redibant nubes, quæ noctem largis imbribus et tonitribus fulminibusque horridam fecerunt, tristemque astronomo nostro, qui

spem ulterioris observationis amiserat. At horâ 3 21' matutinâ, resplenduit Sol, nimis licet sero, Veneris enim pars tertia circiter jamjam emerserat. Itaque tanto majori cum attentione emersionem totalem vel contactum limborum exteriorem exspectabat: contigit ille, horâ 3 32' 27'', Sole tum splendido. Dolendum quidem est, cœli faciem non indulsisse *Planmanno*, contactum interiorem emersionis tueri; sed cum exteriorem bene et certè, tubo 20 pedum optimo notatum afferat, et per experientiam transitus anni 1761, compertum sit, observationes contactus exterioris in emersione fere magis inter se convenire et parallaxeos quantitatem non minus certam dare, quam observationes correspondentes contactus interioris, sperare fas est, hanc observationem celeb. *Planmanni*, comparatam cum aliis, eximio futuram esse usui, si aliis astronomis in *Norvegia* et *Russia* non contigit (quod tamen absit) emersionem Veneris totam observare.

Die 4 Junii, eclipses Solaris initium, cœlo sereno, notavit	h   "   "	}
D. Planman	9 0 53	9 0 53
	Finem	II 0 0 $\frac{1}{2}$

Elevatio Poli *Cajaneburgensis* est  $64^{\circ} 13' \frac{1}{2}$ . Differentia meridianorum observatorii Regii *Grenovicensis* et *Cajaneburgensis* est  $1^{\text{h}} 50' 47''$  quam proxime, quantum ex habitis anno 1761 observationibus concludere licet, quam etiam confirmare videntur nuperæ observations immersionis Veneris, *Cajaneburgi*, *Upsaliæ*, et *Stockholmiæ* factæ, atque inter se collatae.

## OBSERVATIONES UPSALIENSÈS.

Tota die 3 Junii, cœlum *Upsaliæ* fuit serenissimum: nihil itaque aliud obstat in certitudini observationum immersionis Planetæ, quam undulatio marginis Solaris, quæ, in elevatione duorum vel trium tantum graduum ab horizonte, non potuit non esse magna et incommoda.

*Upsaliæ* quinque observatores in immersionem Veneris intentos habuere oculos animosque.

Dominus Stroemer, Astron. Professor emeritus, usus est telecopio reflectente trium pedum.

Is Solis, Venerisque margines se interius tangentes  
obseruavit } h ' " 8 39 58

Sed eos separatos et obscuram fasciolam eos jungentem  
ruptam demum vidit } 8 40 32

Dominus Melander, Astron. Professor, tubo 20 pedum,  
Veneris accessum primus hotavit } 8 22 1

Margines Solis et Veneris se intus contingebant  
Fasciola marginis jungens illi visa est erupta } 8 39 57 8 40 12

Dominus Bergman, Chemiae Professor; tubo 21 pedum  
dictam fasciolam ruptam vidit } 8 40 9

Dominus Prosperini Astron. Observatoris Vicarius, tubo 15  
pedum, Venerem exteriori tang. vidit } 8 22 12

Immersionem totalem, rupto vinculo obscuro, obseruavit } 8 40 12

Dominus Salenius, Philosophiae Magister; tubo 12 pedum,  
primum Veneris in margine Solis vestigium aspexit } 8 22 15

Venerem, undique Solis lumine cinctam; videre sibi  
visus est } 8 39 46

Sed mox disparuit illa lux, et Solis margo cum Ve-  
nere iterum coalescebat, vinculo vel fasciola atra co-  
harentes, quæ demum erupta } 8 40 15

Postremi hujus phænomeni duplicit scilicet im-  
mersionis totalis, explicationem ingeniosissimam dedit  
clariss. Melander, quam alia occasione comunicabo.

## OBSERVATIONES STOCKHOLMENSES.

Heic non tantum undulatio marginum Solis, sed et nubeculæ prope horizontem, reliquo licet cœlo adhuc nitido, anxios nos reddiderunt de observationum successu, qui tamen spe melior factus est, enitescente margine Solis saltem superiori, iis momentis, quibus maxime opus erat.

Dominus <i>Ferner</i> , Cancellariæ Regiæ jam Copiliarius, et olim Astron. Professor, tubo Dollondiano 10 pedum,	8 24	8
diametros fiderum nonages augente, primum Veneris in margine Solis vestigium vidit	8 41	48
Cornua Solis Planetam amplectentia confluabant, ideoque imm. total.	8 24	5
Dominus <i>Wilcke</i> , Physices Experim. Lector, telescopio 1½ pedum egregio, appropinquantem Venerem in ipso Solis margine confexxit	8 41	2
Margines Solis et Veneris se fere contingere videbantur, quamvis cohærerent	8 41	30
Fasciola margines connectens diluebatur paulatim, conspicua tamen adhuc erat	8 41	45
Eadem fasciola, tenuior et minus obscura sensim facta, evanuit, et Venerem intra Solem reliquit	8 23	51
Ego, tubo 21 pedum, inter innumeratas fluctuantes inæqualitates in margine Solis, constantem tandem et atram detexi (quam mox ipsissimæ Veneris esse notam cognovi)	8 41	32
Margines se interius ad sensum tangere videbantur Cohærebant tamen, donec radius Solis fluctuans eos separabat	8 41	47

Ab ortu Solis proximo mane, usque ad horam 8 $\frac{1}{4}$  matutinam, cœlum nubibus fuit obductum, et Stockholmiæ et Upsaliæ.

Stockh. d. 7 Jul.  
1769.